



## Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

23. Dies Aprilis. Tolle invidiam, & tuum est, quod habeo: tolle invidiam, & meum est, quod habes. S. Augustinus tract. 32. in Ioan.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

## 23. DIES APRILIS.

Tolle invidiam , & tuum est, quod habeo : tolle invidiam , & meum est , quod habes. *S. Augustinus tract. 32. in Ioan.*

Invidia. I.

**O** Dii frutex, est Invidia, cui proprium est tristari de alieno bono, & gaudere de alieno malo. Habet enim mens nostra, sublime quiddam & erectum, & impatiens superioris. Hinc, qui se supra modum extollit, alterum, qui inferior est, premere, ac despiciere creditur: Inde invident humiliores. Nam hoc vitium est eorum, qui nec volunt cedere, nec possunt contendere. Invidus, licet pudeat eum morbum, quo cruciatur, prodere, vultus tamen, index animi, eum detegit: oculi aridi intra palpebras tabidas, & extenuatas recedentes; supercilium contractum: adhuc complodit palmas; digitos complicat: cogitationibus angitur; ex intimis prae cordiis, doloris significantia ducit suspiria, injucundus illi est proventuum fructus, acerba mensa, focus subtristis, paratae ac faciles aures obtrebantibus ei, qui secundam fortunam utatur. At quam morbi causa est? quod frater, nimirum, vel propinquus, vel necessarius, vel vicinus in prosperitate vivit. O novas injurias! crimini dare, quod non adversa fortunam confictetur ille, cujus rebus secundis dolet. Quid habes, quod de eo conqueraris, & crimini das? si ille corpore decorus;



si eloquentiâ ornatuſ, ſi genere ſuperior eſt, ſi aliquo Magiſtratu inuito ſplendiduſ, ac magnificuſ in dignitate conſpicitur; ſi propter prudentiam in verbis ejuſ auctoritas ineſt: ſi ob liberos ſibi placet, ſi uxore delectatur. O ſtultè! hæc omnia bona tua ſunt, ſi tollaſ Invidiam.

II. Hæc labes antiqua eſt. Primum enim hominem ſuperbia: ſecundùm videlicet Cainum, infeſtavit Invidia. In infantia ſua munduſ adolevit malis. Nec inter fratres ſecura Innocentia fuit, nec inter ſacrificia tuta pietas: ipſaſ araſ profanavit Invidia, quæ religioniſ ac naturæ violatæ rea, in proprium ſanguinem audax, tertiam hominum partem trucidavit, quia unuſ innocenſ fuit. Totuſ orbis mortalibuſ, alioquin vacuuſ, duoſ capere non potuit fratres, altero invidente. Nulla funeſtior, quàm Invidia, peſtiſ, dimidiam exauſit natorum partem, quos ſcimus tunc vixiſſe. Invidia rudem adhuc, & virginem mortem erudivit, & quam primuſ hominum meruit; primogenituſ fecit: Adam enim ſuperbiens, mortem neceſſitate ſuâ induxit; Cain invidenſ, voluntate ſuâ intulit. Primuſ natuſ, mortem primuſ edocuit. Primuſ Filiuſ, primuſ maluſ frater, primuſ homicida, & quod ſceleſtiuſ, parricida, fratrem per Invidiam occidens, ut quia ſuperbia cauſa, & mater fuerat mortis, obſtricaretur Invidia. Quid miſeriuſ invidio, quem non modò mala propria, ſed etiam bona aliena cogunt miſerum eſſe? Quid ſceleſtiuſ, quàm minus dolere ſuiſ malis, quàm optare aliena? Quid inſtitiuſ, quàm boniſ propriiſ non gaudere, & aliena mala appetere? Quid funeſtiuſ, quàm odiſſe omneſ ſe dolore afficere,



III. Infanabilis est Invidiæ morbus ; nam & in-  
 verecundus quidam pudor ægri, suum morbum ce-  
 lantis, & pessimi morbi qualitas, naturæ repugnat.  
 Ab humana manu curari non potest unquam, à  
 Divina non solet semper. Hoc igitur malum non  
 admittet medicum, spernit medicinam. Cui enim  
 caput, aut membrum aliquod dolet ; medico mor-  
 bum aperit. Verùm, qui ægrotat Invidiâ, quid di-  
 cet ! Angunt me proximi bona ? Nam veritas hæc  
 est. Attamen hæc quisque fateri erubescit. Quid  
 quæso te affligit ? proprium malum, an bonum alie-  
 num ? Certè malum tñum incurabile. Itaque hic  
 nullus medicinæ est locus, nulla medendi spes. Un-  
 de fieri poterunt boni, qui sunt in bono mali ? Aut  
 quemodo eos punitura sunt mala sua, quos etiam  
 bona puniunt aliena ? Quis ei poterit subvenire, qui  
 se sibi exhibet invidendo carnificem ? aut undè sibi  
 parabit salutem, qui de salutis materia, facit per-  
 niciem ? Est vitium planè rabidum & caninum, quod  
 alios mordet & rodit, vel saltem aliis allatrat. Huic  
 occinit Vates hoc effato :

*Dum canis os rodit, socium, quem diligit, odit.*

## 24. DIES APRILIS.

Melius est nihil habere ; quàm multa  
 habentem, nemini impertiri. *Sextus  
 Pythagoricus.*